



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## Universitätsbibliothek Paderborn

### **Acta Ecclesiae Mediolanensis**

Decreta Provinciae Mediolanensis Svb B. Carolo Borromeo, Cardinale  
Archiepiscopo, Diuersis temporibus in sex Concilijs, totidemq[ue]  
voluminibus edita

**Speciano, Cesare**

**Brixiae, 1603**

Tit. II. De Secvndis Nvptiis.

**urn:nbn:de:hbz:466:1-10553**

accuratiusq; providendum & consulendum esse statuimus. Itaque Episcopi cura sit, si expedire aliquando iudicauerit, pœnis & censuris, quas arbitrato suo constituerit sancire, ne sponsi, priusquam matrimonium in Ecclesia per Verba de presenti ex ritu celebraverint, non modò simul non habitent; sed ne ullo quidem modo mutua consuetudine, commercio utantur.

## DE SECUNDIS NUPTIIS.

## Tit. I I.

Ex tortiones pecuniarum, & clamorosi tumultus occasione secundarum nuptiarum qualiter tollendi.



*VE* in nuptijs indecorè fiunt, ea ab Episcopis omnino eripi iussum est supra.

In ijs porrò ipsis cum potissimum minimè ferendæ illa duæ, deprauato morum usu, introductæ corruptelæ, una scilicet, cum certa quædam pecunia ab ijs extorquetur, qui ex alieno solo, alienave parochia uxorem ducunt; altera, cum per uicos, & plateas, qua secundò nupta ducitur, clamores, tumultuosæq; uoces, à prophano gentilium more non abhorrentes, ac strepitus hominum, quasi exagitandis secundis nuptijs eduntur; eas sanè à Christianæ pietatis institutis, atque moribus, & à matrimonij, quod celebratur, sanctitate alienas Episcopus, cum omni alia pastoralis officij sui ratione, tum propositis etiam pœnis censurisq; extirpari, ac planè funditus tolli curet.

## DE VOTO, ET VOTI

## Redemptione. Tit. III.

Valentes qualiter vota commutabunt. Cap. I.



*V*ICARIUS Generalis id confessarios sacerdotes interdum admo-  
neat; ut, si quando quavis facultate, auctoritateve eis licebit  
pœnitentium vota commutare; ne ea illi commutent, nisi in a-  
lia maiora pietatis opera, uel Deo gratiora, uel saltè quæ tan-  
tidem ualeant; qua in re iudicanda rationem habeant, & sumptuum, & la-  
borum, & molestiarum, & omnium denique incommodorum quæ pœniten-  
tes perpesuri erant, si uotum, quod sanctè conceperant, re ipsa præstitissent.

Vide Na-  
uar. I Ma-  
nua. c. 12.  
nu. 76. &  
sequ.

In plurium communi voto emittendo, quæ seruanda erunt.

Cap. I I.

*S*I quando ob calamitatem imminentem aliamve causam, à populo, uel ab  
vniuersitate, uel à vicinia parochiali votum Deo fieri deliberandum

est;